« *tu me misisti.* Ita profecto et nunc : quamvis enim « sciret, animam suam sanctissimam Patris esse « manibus commendatam, qui paulo ante dixerat : « *Venit princeps mundi hujus,* id est, Satanas, *et in « me non habet quidquam* : tamen ut erudiret nos, « qui terra sumus, et cinis, ut spiritum nostrum « disceremus Patris æterni manibus commendare, « ne ab hujus mundi principe, cum a corpore « egressus fuerit, comprehendatur, qui in nobis, « heu ! non pauca, quæ ad ipsum pertineant, inve- « niet ; ipse qui peccato nil debebat, imo qui etiam « tollere peccata venerat, spiritum suum purissi- « mum, a purissimo corpore egressurum, non uti- « que necessitatis, sed exempli gratia, Patris sui ma- « nibus commendavit. » Simon de Cassia similiter de Salvatore nostro inquit [1] : « Moriendi exemplum « cæteris dereliquit. Nam in illo congressu, ubi « dolor acerrime cum natura luctatur, quod mors « sensum penitus adimit, nil aliud potioris, aut ta- « lis habemus refugii, nisi ut animam tanta digni- « tate creatam, tam alte pieque redemptam, inhæ- « sitanter Domino commendemus, qui solus potens « est, hoc depositum incolume servare. » Bollandus in vita B. Angelæ de Fulginio scribit, ipsam jam-jam morientem, dum hæc verba proferret : *Pater in manus tuas,* etc. hanc cœlitus delapsam audisse vocem [2] : « Quod impressum est cordi tuo in vita, « impossibile est quod non habeas, in morte. » Paulus de Palatio ex hisce Redemptoris verbis se- quens deducit documentum, inquiens [3] : « Christus « docuit magna voce, magno nisu nobis esse in « tempore mortis clamandum, ut Dominus spiri- « tum suscipiat nostrum ; ubi enim jacitur vitæ « alea, ibi cœlum nobis, gloria, Deus, periclitantur : « in eo puncto totius nostræ salutis cardo versatur. « Clamet igitur magna voce, qui se in magno peri- « culo videt, voxque magna magnum excitet Deum, « ut magno auxilio accurrat in magno periculo labo- « ranti, »

DISCURSUS XXIII

CIRCA ILLA VERBA : *Et inclinato capite,* ETC. RATIONES, OB QUAS CAPUT MORIENS INCLINAVIT, INVESTIGANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Variæ rationes adducuntur quare Christus moriens inclinaverit caput. — 2. Christus inclinavit caput quasi homini daturus osculum pacis. — 3. Alii sancti morientes oculos elevant in cœlum. Christus in terram cujus diversitatis adducitur ratio. — 4. Christus pastor bonus nos quasi oviculam perditam in humeris portans, caput inclinat. — 5. In statera S. Crucis appensa fuerunt nostra peccata et merita passionis Christi. — 6. Applicatur ad propo- situm sacrificium columbæ. — 7. Christus inclinando caput, annuit morti, ut accederet, alias accedere non audenti.

[1] SIM. DE CASS. — [2] BOLL., 4 jan., fol. 234.— [3] PAUL. DE PAL., *in Matt.*

Inclinato capite, tradidit spiritum, Joan., XIX, 30.

1. — S. Joannes, intimus Verbi incarnati secre- tarius, de quo S. Ecclesia canit : *Fluenta Evangelii de sacro Dominici pectoris fonte potavit* : hic inquam, tamquam testis oculatus, non sine mysterio notabi- lem hanc retulit circumstantiam, quod scilicet Christus moriens caput inclinarit, et postea mor- tuus fuerat : *Inclinato capite, tradidit spiritum* : si- quidem non solum ratio, sed et experientia, mo- rientes, postquam exspirarunt, caput inclinare de- monstrat; quia tunc caput spiritibus vitalibus, et anima quæ illud sustinet, est destitutum. Ac proinde B. Laurentius Justinianus ait [1]: « Non abs re scripta « sunt : nempe quæcunque scripta sunt, ad nos- « tram doctrinam scripta sunt, ut in facto myste- « rium, et in littera eliciamus spiritum. »

2. — *Inclinato capite.* S. Augustinus ad modum, quem Sapientia divina in Incarnatione Verbi serva- vit, se reflectens, inquit [2] : « Fuit similis reparatio, « quomodo et fuit hominis creatio. » Ac proinde eadem proportione dici posse videtur, quod cum passio et mors Filii Dei, ad reparandum genus hu- manum, in primo Adamo deperditum, ordinata fue- rit (dicente Ecclesia : « De parentis protoplasti « fraude factor condolens, quando pomi noxialis « morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc nota- « vit, damna ligni ut solveret ») primum vero pecca- tum, quod omnibus hominibus abyssum aperuit, capite, cervice, et oculis in altum elevatis commis- sum fuerit (*vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile*) hinc secun- dus Adam, peccatum illud expiaturus, oculos clau- dere, et caput inclinare voluit. Unde S. Bernardi- nus ait [3] : « Caput inclinavit in morte, in expiatio- « nem erectionis ad vetita. » Porro peccatum, su- perbiæ et elationis humanæ : qua caput fastuose erigitur, verus partus est, teste Sapiente, qui ait [4] : *Initium omnis peccati est superbia.* Et ideo Deus, qui per peccatum offenditur, inter alias, peccatum aggravantes circumstantias, hanc quoque notat [5] : *Elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant.* Cum igitur Redemptor noster ad expianda totius generis humani peccata venerit, moriens caput suum inclinare voluit, quia ut Simon de Cassia notat : [6] « Erecta cervice com- « missum est, unde mulctatus est et sublevata su- « perbe mente agitur, unde contemptus est : proinde « moritur vice versa inclinato capite. » Multorum celebrium auctorum, ut suo loco diximus, constans est opinio quod ad pedes patibuli crucis, primi Adami cranium sepultum fuerat : quam etiam opi- nionem S. Augustinus non reprobat, quin potius eamdem corrobare videtur, dum ait [7] : « Dignum

[1] B. LAUR, JUST., *de Triumph. Christi agon.* — [2] S. AUG., s. 7 *de Temp.* — [3] S. BERN., t. I, s. 55.— [4] ECCL., XV, 10. — [5] ISA., III, 16. — [6] SIM. DE CASS., l. XIII. — [7] S. AUG., s. 71 *de Temp.*

« fuerat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se « inclinaret divina misericordia : et sanguis ille « pretiosus, etiam corporaliter pulverem antiqui « peccatoris, dum dignatur stillando contingere re- « demisse credatur. » Hoc igitur tanquam vero supposito, memorandus nobis est modus, quem Deus servavit, dum hominem in prima sua creatione vivificaret ; dicit enim sacer textus [1] : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Cum igitur primus ille homo per peccatum innocentiam amisisset, et gratiam, a qua vita animæ dependet, ipse Dei Filius hanc jacturam per suam redemptionem resarcire volens, Adamo, totum humanum genus repræsentanti, suum de novo, dum moreretur, infundere voluit spiritum, ut revivificaretur ; ac proinde inclinato versus Ada- mum, ad pedem crucis sepultum, capite, tradidit spiritum : « Ut vitæ spiraculum in faciem nostram, » ut Salmeron ait [2], « inspirare se declararet, ut qui « peccato mortui eramus, justitiæ vivere incipia- « mus. »

3. — *Inclinato capite.* S. Apostolus de Christo ait [3] : *Ipse est pax nostra* : hoc enim fine e cœlis in terram descenderat, ut nos æterno suo Patri recon- ciliaret : et licet pro hac pace stabilienda per XXXIII annorum spatium negotiatus fuisset, attamen ves- pere præcedenti, et non ante dixit : *Pacem relinquo vobis* : quia postquam hic arcus in monte Golgotha inter nubes apparuit [4], *signum fœ- deris inter Deum et homines* esse cœpit. Unde tunc, et non ante, divina justitia in hujus mystici agni sa- crificio dixisse videtur [5] : *Videbo sanguinem, et tran- sibo, nec erit in vobis plaga disperdens* ; ac proinde moriens caput inclinavit, quasi osculus pacis homini dare volens. Id quod plurium sacrorum interpretum auctoritate probatur : et quidem in primis Taulerus ait [6] : « Dimisit caput, quo pacis nobis, reconciliatio- « nisque, et amoris præberet osculum. » S. Au- gustinus quoque ante omnes alios scripserat [7] : « Salvator noster caput inclinavit in morte, ut os- « cula daret suis dilectis : toties Deum osculamur, « quoties in ejus amore compungimur. » B. Lau- rentius Justinianus inquit [8] : « Inclinavit caput, et « spiritum reddidit : reconciliavit nos Patri, et pro « nostris reatibus in cruce moriens satisfecit. Caput « namque Christi Deus, quemadmodum caput ho- « minis Christus, dicente Apostolo : *Caput mulieris « vir, caput viri Christus, caput Christi Deus.* Caput « hoc, dum passionum ludibria, et mortis supplicia « pro hominibus pertulit Mediator, liquefecit ad « misericordiam, flexit ad gratiam, et inclinavit ad « indulgentiam ; quo peracto, integerrimum electo- « rum numerum, et humanitatis suæ in manus Pa- « tris tradidit spiritum. » Devotissimus Blosius pari- ter inquit [1]: «Caput ad osculandum inclinans. »Lu- dolphus Carthusianus similiter hanc actionem exa- minans, inquit [2] : « Quasi me, Patre reconciliato, « nuncians mihi pacem salutet et osculum mihi præ- « beat. » Huic quoque opinioni S. Bonaventura in sermone quodam subscribit, dum ait [3]: «Tunc faciem « suam quasi ad osculum pacis dandum inclinavit.» Citatque sequentem ex cap. VI Numerorum textum : *Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pa- cem* : ac tandem cum S. Bernardo concludit : « Vide « caput inclinatum ad osculandum. »

4. — *Inclinato capite, tradidit spiritum.* In aliis Dei servis, prout in vitis Sanctorum legitur, hoc communiter observatur, quod morientes, oculos suos sursum in cœlum elevare soleant. Unde sancta illa mater Symphorianum adolescentulum filium suum ad constantiam in martyrio conservandam his verbis adhortabatur : *Cœlum suspice.* S. Stepha- nus protomartyr similiter moriens, oculos in cœlum defixos habebat : *Intendens in cœlum.* S. Martinus pariter morti propinquus, dicebat [4] : « Sinite me potius cœlum, quam terram aspicere. » Denique S. Petrus tametsi cœli claves sibi commissas haberet, nihilominus moriens, capite deorsum crucifigi pe- tiit, ut in cœlum suspicere posset. Quonam igitur mysterio Christus moriens oculos, et caput suum versus terram inclinavit ? Simon de Cassia inquit [5] : « Qui caput inclinat, subjecta oculis respicit, et « Christus vultum declinavit ad terram, ex qua se- « cundum carnem sumptus erat in illa condendus, « quamquam non resolvendus in pulverem. » Pro hujus dubii resolutione advertendum est, magnam inter Filium Dei morientem, et servos ejus exspi- rantes, intercedere, differentiam ; ipsi namque mi- nime opus erat, ut exspirans, in cœlum suspiceret, quemadmodum nos facere debemus, dum morimur; quia cœlum sive cœlestem beatitudinem, animæ suæ, ut ita dicam, jam de facto insertam habebat, utpote quæ a primo creationis suæ instanti visione fruebantur beatifica ; caput igitur suum terram ver- sus, et ad nos inclinavit, ut se nobis suam vitam, suumque spiritum, et animam suam in beneficium dare insinuaret; non enim pro cœlo, sed pro terra moriebatur. Salmeron ait [6] : « Exspiravit capite in- « clinato ad nos, ut innuat, se spiritum suum in Pa- « tris manus ad nostram commodum, et beneficium « deponere. » Voluit quoque capite ad nos inclinato animam suam exhalare, ut se non pro spiritibus Angelicis ; sed pro nobis, qui Adæ posteri sumus, passum, et crucifixum fuisse ostenderet; *nam prop- ter nos homines, et propter nostram salutem* mortuus est : unde per hanc capitis inclinationem dicere

[1] GEN., I, 7. — [2] SALM., t. X, tr. 40. — [3] EPH., II, 10. — [4] GEN., X, 13. — [5] EXOD., XII, 13. — [6] TAUL., *de Vit. et Pass.* — [7] S. AUG., *in Manuali.* — [8] B. LAUR. JUST., *ib.*

[1] BLOS. *in Sacel. animæ.* — [2] LUD. CARTH., p. 2, 63. — [3] S. BON., s. 1 *in oct. Parasc.*— [4] ACT, AP., VII, 55.— [5] SIM. DE CASS., *ib.* — [6] SALM., *ib.*

voluisse videtur : Caput meum, inclinando, meumque mittendo spiritum, vobis annuncio, adimpletum esse id, quod vobis dixi [1] : *Respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

5. — *Inclinato capite.* Christus apud S. Lucam, per pastorem illum denotatur, qui perditam sollicite quæsivit oviculam, quam post multos sudores inventam, humerisque suis impositam, salvam et incolumem ad ovile reportavit. Quis autem non videt, quod ei, qui grave pondus in humeris suis portat, caput inclinare necesse sit ? Dionysius Carthusianus ait [2] : « Assumpta in unitate personæ natura « humana, quæsivit genus humanum : pro illius « conversione, reductione, salvatione, orando, præ« dicando, moriendo, miracula faciendo. *Eratis sicut « oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pasto« rem.* » Glossa ad propositum nostrum ait : « Ovem « in humeris posuit, qui humanam naturam susci« piens, peccata nostra ipse portavit ; unde humeri « Christi crucis brachia sunt, illic peccata nostra « deposuit. » S. Ambrosius a S. Bonaventura in « Commentario super Lucam citatus inquit [3] : « Humeri isti sunt brachia crucis, in hoc humeris « ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra « portavit. » Lanspergius sequentem habet ingeniosam considerationem [4] : « Neque enim absque « ratione putamus fuisse, quod Jesus inclinaverit « caput. Solent enim ii caput inclinare, qui onere « prægravati deprimuntur. Hoc modo Christus, quia « omnium super se peccata portabat, prægravatus « tanto peccatorum nostrorum pondere atque mole, « caput inclinat. » Unde Psalmista ait [5] : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me : putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, curvatus sum.* Mirum igitur non est, quod Christus, qui omnia humani generis peccata in se assumpserat, dicente S. Petro [6] : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum,* caput suum moriens inclinaverit. Salmeron idipsum egregie exponit sequentibus verbis [7] : « Ostendit se portare crucem, cujus principa« tus super humerum ejus, et onera peccatorum « nostrorum, sicut Petrus ait, *peccata nostra ipse « pertulit in corpore super lignum* ; unde mortuus « est expressa forma hominis sarcina prægravati, « caputque propterea deflexum habentis ; nam « revera Christus Pater erat, ovem errantem por« tans super humeros. » Apud Isaiam peccator his verbis Christum alloquitur [8] : *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Postquam vero fortissimus hic Athlas insupportabilem illam, ponderosamque peccatorum in cruce sustinuisset, nostraque peccata per excessivos dolores suos in eadem expiasset, divinæ justitiæ *ex toto rigore* satisfaciendo ; in ipso mortis momento eandem in profundum pœnosæ passionis suæ mare projecit ; ac proinde Michæas Propheta ait [1] : *Miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra* ; ac proinde, ut Salmeron alio in loco notat : « Dum humeros suos ab hac peccato« rum sarcina exonarabat, fieri non poterat, quin « caput suum inclinaret. » Hugo Cardinalis contrarium fere asserit mysterium, dum ait [2] : « Redemp« torem nostrum inclinasse caput, quasi supponens « humerum ad portandum nos, et onera nostra. »

6. — *Inclinato capite.* Ecclesia non sine mysterio crucem stateræ nomine appellavit : *Statera facta corporis* : humanum etenim genus infinitum, et insolubile penes divinam justitiam ob innumera commissa peccata contraxerat debitum pro cujus exsolutione Redemptor noster in crucem conscenderat, in qua velut in statera, in conspectu totius cæli posita fuere ex una parte immensa debita nostra, ex alia vero parte incomparabilia Filii Dei et passionis suæ merita collocata erant, deprehensumque fuit, hæc illis longe præponderare, quia *copiosa apud eum redemptio* ; unde factnm est, quod declinante ex illa parte bilance, vere dici potuerit : *Inclinato capite.* Audiamus sequentem a Job pronunciatam sententiam : ait enim : *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui et calamitas quam patior, in statera : quasi arena maris hæc gravior appareret.* Circa quæ verba S. Bernardus ait [3] : « Crucis attendamus « mysterium : ipsa est statera corporis Christi, « quam desiderabat, qui dicebat : *Utinam appen« derentur peccata mea, quibus iram merui, et cala« mitas quam patior, in satera* : Crux facta est sta« tera corporis Christi. Cum ipse crucifigeretur, « appensa sunt cum ipso peccata quæ commisimus, « calamitas quam incurrimus. Ipse vero erat inno« cens, impollutus, segregatus a peccatoribus et « excelsior cœlis conversatio ejus : et quoniam talis « ac tantus, tam indigna dignatus est in cruce pati, « præponderare cœpit calamitas, et in crimina levi« gari. Cum adhuc tamen in cruce erectus staret, « vacillare videbatur statera, nec plane cognosce« batur, qua cedere deberet, donec inclinate capite « emisit spiritum, ut calamitas præponderando ca« deret, et quasi arena magis gravior appareret. »

7. — *Inclinato capite.* Inter alios a Deo pro sacrificiis præscriptos ritus, unus hic fuit, ut scilicet quando in holocaustum offerebatur columba, caput ejus ad collum retorqueretur ; ait enim sacer textus [4] : *Offeret eam sacerdos ad altare, et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem. Omnia autem hæc in figura contingebant illis* : per altare namque crux significabatur in qua ipsemet Christus, summus Sacerdos, æterno Patri suo in holocaustum offerebat semetipsum, id est, immaculatæ animæ, et humanitatis suæ columbam, quæ post copiosum illud tot peccatorum, in inundantibus passionis suæ aquis expiatorum, diluvium (*intraverunt aquæ usque ad animam meam*) in ore suo speciosam detulit pacis olivam, quam subito ut a mortuis resurrexit, mundo annunciavit ; et tametsi retorto ad collum capite, attamen *inclinato capite tradidit spiritum.*

8. — *Inclinato capite.* Ex quo Christus omnis culpæ expers fuit, utpote *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* ; mors utique nullum in ipso locum habere poterat, quia *per peccatum mors.* Et licet ex alia parte Verbum æternum eo fine in terram descenderat, ut nos solum etiam moriendo redimeret, mors tamen ad illum propius, licet eum videret agonizantem, accedere non audebat. Unde Chrysostomus ait [1] : « Cum jam « nihil restet ex pœnis, mors refugit, mors mora« tur, quia suum ibi esse nihil sentit. Suspecta est « vetustati novitas ; hunc enim primum, hunc so« lum vidit hominem, peccati nescium, noxa libe« rum, juris sui legibus nil debentem. » Porro ex S. Lucæ textu constat, Christum jam jam moriturum vocem suam extulisse, et inclinasse caput ; ita enim sacer Evangelista [2] : *Et clamans voce magna Jesus ait : Pater in manus tuas commendo spiritum meum, et hæc dicens, exspiravit* : S. Joannes vero, qui tamquam testis oculatus morienti Christo astitit, insuper addit : *Et inclinato capite, tradidit spiritum.* Mysterium vero, ob quod Christus vocem suam extulit, Theophylactus, a Bellarmino abbreviator Chrysostomi appellatus, his verbis indicat [3] : « Id« circo et magna voce inclamat mortem, non au« dentem accedere nisi vocaret. » Observandum vero est tempus, quo illam advocavit : prius enim dixit : *Consummatum est* ; ac postea ait : *Pater in manus tuas, commendo spiritum meum* ; actum demum *inclinato capite* morti innuit, ut protinus accederet, ac vitæ suæ stamen præcideret. Quod idem confirmat Euthymius [4] : « Cum dixisset, *Pater in « manus tuas,* etc. tunc demum morti permisit, ut « ad se accederet. » S. Athanasius, non in *quæst.* 76 *ad Antiochum*, prout a multis citatur, sed, in libro, cui titulus est : *Dicta et interpretationes Sacræ Scripturæ* q. 41 interrogat [5] : « Quidnam illud est : « *Inclinato capite tradidit spiritum* ? Nam omnes « moribundi moriuntur primum, et tunc demum « inclinant capita. » Responsio, quoniam omnes « Scripturas adimplevit ; scilicet incarnationem, « nativitatem, tinctionem in aqua, signorum decla« rationem, efficacem doctrinæ demonstrationem, « familiarem cohabitationem discipulorum, humana « denique omnia, passionem crucis, illusiones, « vulnera clavorum : istis, inquam, omnibus imple« tis, quæ pati debuerat, sola mors restabat adhuc, « atque hæc quidem sibi metuens, appropinquare « non audebat ; ideo Christus inclinato capite voca« vit ipsam, nam antequam caput inclinasset, vere« batur propius accedere : ideo inquit Euangelista : « *Et inclinato capite, tradidit spiritum.* »

[1] Luc., xxi, 28.— [2] Dio. Cart., *ib.*—[3] S. Amb., *in Luc.* — [4] Lansperg., in h. 32 *in Pass.*— [5] *Ps.* xxxvii, 5. — [6] I Petr., ii, 24. — [7] Salm., *ib.* — [8] Isa., xxxviii, 17.

[1] Mich., vii, 18. — [2] Hug. Card., *ib.* — [3] S. Bern., h. *de duobus disc. eunt. in Emmaus.* — [4] Levit., i, 15.

[1] Chrys., s. 6 *de Pass.*— [2] Luc., xxiii, 46. — [3] Theo., *in Matt.* — [4] Euthym., *ib.* — [5] S. Athan., l. *dicta et Interpr. Sacrc Script.*

DISCURSUS XXIV

CIRCA EAMDEM CAPITIS CHRISTI MORIENTIS INCLINATIONEM VARIA CONSIDERANTUR MYSTERIA.

Idea sermonis. — 1. Aliæ rationes hujus inclinationis capitis. — 2. Christi mors fuit somnus. — 3. Christus inclinavit caput suum, quia non habebat quo illud reclinaret. — 4. Christus inclinavit caput ex reverentia erga Patrem suum. — 5. Capitis inclinatione Christus exercuit actus humilitatis et obedientiæ. — 6. Christus inclinatione capitis Patri agit gratias pro reconciliatione mundi.— 7. Christus inclinavit caput ad nos, ut videat nostras necessitates et audiat preces nostras. Inclinavit caput quasi nos ad se vocans. — 8. Christus inclinavit caput versus suos hostes, offerens illis gratiam et veniam. — 9. Inclinavit caput ut fructum crucis facilius decerpere possimus. — 10. Inclinavit caput versus centrum terræ et limbum. — 11. Christus inclinatione capitis valedixit matri. — 12. Salutare monitum. Insigne exemplum.

Inclinato capite, tradidit Spiritum. Joan. xxx, 30.

1. — Verissimum est illud vulgatum axioma, quo dicitur, plura in sacris litteris contineri sacramenta, quam verba : *Tot sacramenta, quot apices,* vel ut melius dicam, *Plura sacramenta quam apices,* et ideo indubitatum est, quin S. Joannes hanc circumstantiam, quod scilicet Christus jam moriturus caput inclinarit, non sine mysterio expresserit, quia ut videbimus, præter jam adductas rationes, plures quoque aliæ sanctis doctoribus considerantur.

2. — *Inclinato capite.* Salmeron auctoritatem adducit Ovidii, per quam morientem caput inclinare, naturæ consentaneum esse probat ; ita enim scribit : « Poeta Ovidius hanc inflexionem capitis naturalem esse judicavit, dicens : »

> Sic corpus moriens jacet et defecta vigore,
> Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque reëumbit

Quod tametsi se ita habeat, in casu tamen præsenti contrarium accidit, quia Christus primo caput inclinavit, postea vero suam exhalavit animam : *Inclinato capite tradidit spiritum* : id quod, ut in sequenti discursu dicetur factum est præter omnium morientium consuetudinem. Subdit vero idem Salmeron : « Simili fere ratione quando homo stans aut « sedens dormit, inflectit caput in dexteram. » Christus igitur caput inclinavit, quia mors Christi somnus fuit, et ideo ab Apostolo Christus appellatur. *Pri-*

[1] Salm., t. X, tr. 46.

mitiæ dormientium. et apud Psalmistam ait [1]: *Ego dormivi, et soperatus sum, et exsurrexi.* S. Paschasius super Matthæum scribens, similiter ait [2] : « Ac si sopitus somno pacis, inclinato capite, tra- « didit spiritum. » Post quadraginta vero horarum spatium evigilatarus crat, ac proinde in illo intermedio somno, instar dormientis caput inclinavit, Lucas Brugensis ait [3] : « Congruebat hic gestus ei « morti, quæ propter subsequentem resurrectio- « nem, non tam mors, quam somnus dici mereba- « tur, veluti si dormiturus caput lecto reclinet. »

3. — *Inclinato capite*, Christus apud S. Lucam contemptum bonorum terrenorum insinuare voleus, inquit [4]: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Porro sæculi hujus magnates, imo et pauperes, licet in hac vita nihil possideant, nihilominus ut plurimum in infirmitatibus suis in publica recipiuntur hospitalia, in quibus super mollibus plumis jacentes, dum in fine moriuntnr, caput molliter inclinant : non vero idipsum Filio Dei accidit, siquidem locum non habuit, in quem caput suum, ab innumeris acutissimis spinis perfossum, reclinaret. Unde Ludolphus Carthusianus ait [5] : « In hora, et in « tempore illo flebili, speciosa terræ latitudo, sibi « defecerat, ita ut non haberet, ubi caput miseriis « fessum reclinaret, sed inclinatum dependebat. » S. Antonius de Padua in sermone quodam de Parasceve, rationem reddit cur Christus, caput suum supra pectus suum declinarit, ait enim [6]: « *Inclinato « capite*: quia alibi non habuit, ubi reclinaret caput. » Lanspergius quoque in homilia quadam ita scribit [6]: « Iterum quod caput inclinavit, alia fuit ratio. « Adeo enim fuit pauper, ut, quo caput suum recli- « naret, non haberet, proinde caput suum reliquit « nobis pendulum, in exemplum testimoniumque « suæ pauperatis »

4. — *Inclinato capito.* Observandum est, quod S. Paulus de hoc puncto tractans, scilicet quod Redemptor noster in patibulo crucis elata voce orans, in hac oratione profundæ erga Patrem reverentiæ signa simul expresserit dicat [7] : *Preces supplicationesque ad eum cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Merito autem S. Joannes Christum caput inclinasse dicit quia Patrem invocavit : *Pater, in manus tuas, etc.* Alius quidam auctor in hæc verba scribit: « Non tantum in accessu, sed etiam in abcessu per- « sonis honoratis caput inclinatur; » unde in Genesi servus ille Abrahæ in signum reverentiæ *inclinavit se et adoravit Dominum.* In lib. I *Reg.*, c. XXVIII, dicitur : *Inclinavit se super faciem suam, et adoravit.* Quia igitur Christus semeptisum æterno Patri in sacrificium offerebat, ut, ideo pro salute universali orans, profundæ humilitatis actus exercuit. Sacerdos in Missa dicere solet : *In spiritu humilitatis, et in animo contrito, suscipiamur a te Domine et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi Domine Deus.* Unde Drogo Hostiensis de Christo ait [1]: « Orasti inclinato capite, clamans voce magna ex- « spirasti : orasti inclinato capite, et spiritu humi- « litatis. »

5. — *Inclinato capite.* Celebris est ille S. Pauli ad Philippenses de Redemptore nostro conscriptus textus [2]: *Humiliavit semeptisum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quibus verbis Apostolus, quas præcipue Christo in cruce exercitas admiratur virtutes, humilitatem scilicet, et obedientiam; ad quarum expressionem multi sacri interpretes hanc capitis inclinationem directam fuisse existimant. Considerandum porro est, titulum cruci superimpositum adeo fuisse speciosum, ob titulum Regis, quo insignitus erat, ut eum Christo Judæi plurimum inviderint. Ac proinde, ut Taulerus meditatur [3] : « Inclinavit Christus caput versus ter- « ram, declinando a glorioso illo crucis titulo, os- « tendens, se gloriam omnem et honorem flocci- « pendere totamque vitam suam in abjecta, et « humili se velle claudere paupertate. » Idipsum quoque Ludovicus Carthusianus his verbis observavit [4]: « Etiam quasi declinare a crucis titulo se os- « tendens, et vanam gloriam vitare nos docens; ac « si diceret : Nolo hic regnare; nolo scribat, aut « nominet me Regem Pilatus. » Mira res! ubi agitur de acceptandis in dorso suo flagellis, et virgis, de transfigendis per spinas temporibus, de perforandis per clavos manibus et pedibus, de irrisionibus, maledictionibus, injuriis, et blasphemiis, horum nihil recusavit, nec aures suas maledictionibus occlusit. At vero quando agebatur de honorificis, et speciosis titulis acceptandis, hoc inclinato capite fugit, et declinavit siquidem *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Idem auctor ait : « *Inclinato capite* versus Patrem suum, quasi osten- « dens ex modo moriendi, quod moriebatur ex « obedientia Patris. » Idipsum quoque Dionysius Carthusianus, scribens in Joannem, confirmat, dum ait : « Inclinato capite factus est Patri obediens « usque ad mortem. » S. Bernardinus cœlestem Magistrum per inclinationem capitis ex crucis suæ cathedræ prædictas virtutes docere voluisse, his verbis tradit [5] : « Caput quoque inclinavit in morte: « simul suasit revereutiam, obedientiam docuit, « humilitatem in operibus usquequaque monstra- « vit, cum omni peracto mysterio, inclinato capite « exspiravit. » Lucas Brugensis in Commentario super Joannem [6] hujus actionis sensum litteralem

[1] *Ps.* III, 6. — [2] S. Paschas., *in Matt.* — [3] Luc. Brug., *ib.* — [4] Luc., IX, 58. — [5] Ant. de Pad., *in Par.* — [6] Lansp., h. 52 *de Pass.* — [7] Hebr., V. 7.

[1] Drog., *de Sacr. Dom. Pass.* — [2] Philipp., II, 8. — [3] Taul., *de Vit. et Pass. Chr.* — [4] Lud. Carth., *ib.* — [5] S. Bern., t. I. s. 55, a. 1, c. 7. — [6] Luc. Brugens., *in Joan.*

declarat inquiens [1] : « *Capitis inclinatio* seu submissio « eximiam Jesu erga Deum Patrem obedientiam « declarat, quod humiliet semetipsum, obediens « usque ad mortem, mortem autem crucis. » Communiter videmus, catellos erga dominos suos, a quibus sustentantur, adeo esse reverentes, et obsequiosos, ut licet nonnunquam percutiantur, ad nova tamen verbera recipienda sua erga illos capita inclinent. Ita quoque Salvator noster, licet sciret, æternum Patrem suum de illo dixisse [1]: *Propter scelus populi mei percussi eum* : quia tamen morti vicinus dicere poterat cum Davide cujus ante quatuor dies a turbis applaudentibus appellatus fuerat Filius : *Hosanna Filio David* [2] : *Quem persequeris? canem mortuum persequeris* : ideo ut se erga illum magis quam unquam exhiberet obedientem, ejusque paternæ voluntati conformem, coram illo inclinavit caput seque post tot tormenta insuper ad mortem subeundam promptum obtulit, dicendo : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* ac proinde *inclinato capite, tradidit spiritum,* quasi humilis et obediens Filius dicere voluisset [3]; *Ita Pater,* libenter moriar ; *quoniam sic placitum fuit ante te.*

6. — *Inclinato capite.* Capitis inclinatio, actus quidam esse solet gratiarum actionis, exhibitæ illi a quo beneficia accepimus ac proinde nonnulli existimant, Christum per hanc actionem Patri suo voluisse agere gratias. Arnoldus Carnotensis super duo illa ultima verba in cruce a Christo prolata, discurrens, ita scribit [4] : « Inclinas caput, quasi « gratias agens. » Qua autem de causa gratias egerit, Salmeron his verbis exponit : « Quasi gra- « tias egisse Patri videtur, caput inclinando, pro « venia peccatorum obtenta, pro victoria contra « peccatum, diabolum, mortem, infernum, ac « mundum impetrata, et pro Patre placato, ac « reconciliato mundo. » Enimvero per triginta tres annos in maxime arduo humanæ reconciliationis cum æterno Patre negotio strenue laboraverat, jamque ad terminum pervenerat, in quo dicere poterat : *Consummatum est,* ac proinde, ut Dionysius Carthusianus ait [6]: « *Inclinato capite,* quasi gratias « agit Patri. » Salmeron ait [7]: « Cum caput Christi « sit Deus, ait Apostolus, ideo inclinato capite « Christum emittere spiritum, nihil aliud est, quam « Patre reconciliato, et ad gratiam misericordiæ « inflexo, per virtutem suæ Passionis, a nobis « recedere. »

7. — *Inclinato capite.* Ludolphus Carthusianus Christum caput in nos inclinasse existimat, ut ostendat, se tunc vel maxime benignas precibus nostris paratum esse porrigere aures; ait enim : « Aures meis precibus, quæ prius non profecerunt « ad exaudiendum, inclinat. » Idem quoque inclinationis motivum Salmerou his verbis insinuat [1] : « Oculos suos in nos inclinavit, ut videat necessitates « nostras, et aures ut exaudiat nos orantes, juxta « illud : *Quia inclinavit aurem suam mihi et in diebus « meis invocabo.* » Quia enim oratio ejus eo tempore quo in cruce pendebat efficacissima erat, magis quam alias, dicente Apostolo [1]: *Cum clamore valido, et lacrymis exauditus est,* et quia jam jam suos clausurus erat oculos, prius illos in nos deflectere, auresque suas nobis porrigere voluit, ut priusquam per mortem suam e mundo discederet, in favorem necessitatum nostrarum se apud Patrem pro nobis velut advocatum sisteret. Hugo Cardinalis eamdem amplectitur sententiam, dum ait [2] : « Exspiravit ca- « pite inclinato ad nos, ut insinuet se spiritum suum « in manus Patris ad nostrum commodum, et bene- « ficium deponere. » Confirmat idipsum Taulerus, dum in hæc verba meditatur [3] : « Aspice gratissima « Christi membra jam emortua, nihilosecius « eumdem nobis, quem adhuc viventia habebant, « demonstrare amorem, et benevolentiam. Exten- « sa manent brachia, ut nos complectantur. Oculi « demissi, ut nos aspiciant. Submissum caput, quo « nos osculetur. Patentia, atque hiantia vulnera, ut « in ea nobis ingredi atque confugere liceat. « Ipsum quoque caput, quod ante ad Patrem sus- « tulerat, sese illi cum lachrymis offerendo modo « ad nos per amorem inclinavit, nostræ cum Patre « reconciliationis nobis offerens optatissimum nun- « cium, atque in placationis signum præbens os- « culum pacis. » Idem Hugo Cardinalis benignissimum Salvatorem totaliter dicit fuisse intentum ad supplicationes nostras expediendas, porrigendasque aures miseriis nostris : « *Inclinato capite,* inquit, « ut ostendat, quod porrectas habet aures, et incli- « natas ad exaudiendum preces humilium, unde « Psalmista ait; *Inclina Domine aurem tuam mihi.* » Neque enim ei sufficiebat, quod bono latroni donasset paradisum, quin potius, tunc quando humanam operabatur redemptionem, desiderasset, ut innumeri meritis passionis suæ proficerent proinde inclinabat caput, ut videret, num forte aliquis esset, qui gratiam aliquam ab eo postularet. Taulerus ait [4] : « Inclinavit caput ad homines universos tan- « quam ultimum *Vale* dicens, extremamque petens « copiam discedendi. » Didacus Stella in Commentario super Lucam prædictis subscribit, inquiens [5]: « Cum spiritum emittit caput inclinat, quasi signum « faciens vocationis, ut ad eum te conferre pro- « peres. » Enimvero intensissimo flagrabat desiderio comparandi ad sui notitiam animas, ac proinde non solum alta usus est voce, sed jam jam moriturus caput suum inclinavit, quasi dicere vellet : *Accedite ad me, et illuminamini* : id quod paulo post centurioni feliciter cessit, qui lumen recepit oculo-

[1] Isa., LIII, 8. — [2] I Reg., XXIV, 23. — [3] Luc., X, 21. — [4] Arn. Carnot., *de sept. verbis.* — [5] Salmer., *ib.* — [6] Dion. Carth., *in Joan,* — [7] Salm., *ib.*

[1] Heb., L. 7. — [2] Hugo Card., *ib.* — [3] Taul., c. 51. — [4] Id., *ib.* — [5] Did. Stell., *in Luc.*